

D. T. O. M. A.
DISQUISITIO TERTIA,
De
DIVINA PECCATORUM
NOSTRORUM REMISSIONE,
P R A E S I D E

JUSTO FEWRBORNIO,
SS. THEOLOGIAE DOCTORE,
EJUSDEMQUE IN ACADEMIA MAR-
purgensi, Professore & Ecclesiae,

Publicè Respondente
ERNESTO ZUGHEEN
BUTJADA-FRISIO.

Ad piè ventilandum proposita,

In Auditorio Theologico,

Die Martii Horis consuetis.



Marpurgi Cattorum,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII,
Academ. Typographi.

M DC XLV.

5. III. 21.

7

Coll. diss. A
167, 22

84. A 167(22)





3
T H E S I S P R I M A.



N proximè prægressâ Disquisitione *quartum* hujus *5. An Deo*
 nostræ Tractationis membrum : *An Deus nobis ex ex simplice*
propriis nostris operibus, vel ex mera sua gratia & mi sua gratia,
sericordiâ nostrâ remittat peccata? ex S. literis expo- *citra satisfa-*
 sui: succedit jam *quintum* : *An Deus ex absolutâ sua Etionē Chri-*
gratia, vel in obedientia Jeou & πωπ Christi, pro nobis sti præstitam
satisfactoriè præstitâ fundatâ, nobis nostrâ dimittat peccata? Quod ex & accepta-
 iisdem S. literis exponam, & Adversarios, hunc articulum multifa- *tam, nostras*
 riam oppugnantes, diluam. *Annue proposito, Sancte Jehova, meo. iniquitates*
 2. *Nos credimus & confitemur, quòd Deus non absolutâ nobis condo-*
suâ misericordiâ, sed in merito & satisfactione Jeou & πωπ Christi fun net?
datâ, nobis nostrâ condonet delicta. Quia Deus nobis ἐχαριστο
 (nostras iniquitates) *in Christo, Ephel. 4. v. 34. Et in Christo habemus*
 redemptionem *per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, Col.*
 1. v. 14. & Roman. 3. v. 25. & Eph. 1. v. 7. *Christus, per seipsum fecit pur-*
 gationem nostrorum peccatorum, *Hebr. 1. v. 3. Et sanguis Christi,*
 qui per Spiritum æternum, *seipsum obtulit immaculatum Deo, pur-*
 gat conscientiam nostram à mortuis operibus, *Hebr. 9. vers. 14. Et*
 Christus nunc semel sub consummationem seculorum, *eis ἀθανάτων*
ἀμαρτίας, per immolationem sui ipsius apparuit, Hebr. 9. v. 26. Et san-
 guis Christi nos mundat ab omni peccato, *1. Johan. 1. v. 7. 9. & Apoc.*
 1. v. 5. & 7. v. 14. *Quæ Dicta satis testantur, quòd non ex absoluta Dei*
gratiâ, sed ob Christi meritum & satisfactionem (fide à nobis appli-
catam) remissionem nostrarum iniquitatum, à Deo consequamur.
 Idè enim is legem divinam pro nobis implevit, passusque & mor-
 tuus est, *ut pro nobis solveret, Psalm. 69. v. 6. & iram Dei, quam nostris*
 peccatis promerueramus & adhuc promeremus, *Roman. 1. v. 18. & 2.*
 v. 8. 9. *Ephel. 5. v. 6. Coloss. 3. v. 6. à nobis averteret, 1. Theff. 1. v. 10. &*
 Roman. 5. v. 9. *Hinc & Spiritus S. non tantùm dicit, quòd Christus*

4
nos suo pretioso sanguine à peccatis nostris Tit. 2. v. 24. à maledictione legis, Galat. 3. v. 13. à Diabolo, Hebr. 2. v. 14, 15. & ab inferno, Hos. 13. v. 14. redemerit, sed & nos pretio emerit, 1. Corinth. 6. v. 6. & 7. v. 23. & 2. Petr. 2. v. 1. & Apocal. 5. v. 9. At vel ipse Socinus lib. 3. de Christo Salvatore c. 4. asserit, quòd satisfactio sit debiti solutio. Quia ergò Christus $\text{Ἰησοῦς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ}$ & universum nostrum debitum, debitum, inquam, perfectæ obedientiæ pro nobis, seu loco nostri, Deo persolvit, Matt. 5. v. 17. Roman. 8. v. 3. & 10. v. 4. & Galat. 2. v. 4. 5. & debitum pœnæ, nostris peccatis attractæ, simul dependit & luit, Esa. 43. v. 24, 25. & 53. v. 4. & c. hinc & Deo pro nostris peccatis satisfecit, & propter illâ ejus satisfactionem, veniam nostrorum peccatorum adipiscimur. Taceo, quòd, quando justo pretio exhibitò, aliqui emuntur à captivantibus, tum illi satisfactoriè ab illis liberentur.

3. Hanc divinam veritatem Satanas per sua organa multis ob-
tenebrare modis annititur. Photiniani satisfactionem Christi pro nobis, ad delenda nostra peccata, Deo præstitam, omnimodò negant & atrociter blasphemant. Quasdam ipsorum rationes hic resolvam, reliquas ipsi discursui reservaturus. Socinus in Prælect. Theologicis, cap. 17 pag. 95, 96. Adde, inquit, quòd sancta litera, non remittendi tantum verbo, cum de liberatione à debito peccatorum nostrorum agitur, uti solent, sed condonandi, quoq; seu donandi verbo interdum utitur, quod $\chi\alpha\epsilon\iota\ \zeta\epsilon\delta\omega\iota$ in Græco est. Namq; id verbum beneficentiam & liberalitatem prorsus significat, eamque multò magis, quàm remittendi verbum, quòdammodo ob oculos ponit. Inquit autem Paulus, ad Col. 2. v. 13. scribens, Deum nobis condonasse omnia delicta, & ad Eph. 4. in fine, ad eosdemq; Coloss. cap. 3. v. 13. ait, Deum in Christo, & ipsum Christum nobis condonasse seu donasse, subaudi, offensas, quibus Deum in nos provocaveramus. Quid magis satisfactioni pro delictis omnibus atq; offensis nostris, quam Deus à Christo acceperit, contrarium esse potest? Quid magis beneficentiam & liberalitatem istam ingentem, quam Deus per Christum nobiscum exercuit, non obscurare tantum, sed funditus tollere etiam potest, quàm si statuamus, Deum voluisse, ut sibi à Christo pro omnibus peccatis nostris plenè satisficeret? Quin etiam in Catech. Raccov. lat. c. 8. pag. 228, 229. & germ. pag. 262. Photiniani urgent, Scripturas passim, Deum peccata hominibus gratuito remittere, testari, pag. 228, 229. verò sub novo fœdere: ut remissioni gratuita nihil adversari
magis

magis, quàm satisfactionem. Cui enim Creditori satisfiat vel ab ipso debitor, vel ab alio, debitoris nomine, de eo non posse verè dici, omni debitum gratuitò ex ipsà gratià remississe &c.

4. Re. 1. Quando Deus dicitur nobis nostra peccata remitti & ex gratià condonare, tum id nullatenus opponitur Christi merito & satisfactioni: quia is non extra & citra Christum Mediatorem & Propitiatorem nostrum, sed in illo, id est, per & propter illum, loco nostri passum & mortuum; a nobis fide apprehensum, nobis condonat & remittit peccata; sed opponitur propriis nostris operibus & satisfactionibus & meritis, teste Sp. S. Rom. 3. v. 24. 25. 28. & 4. v. 1. & c. & 9. v. 16. & 11. v. 6. Galat. 2. v. 16. Ephes. 2. v. 8. 9. & Tit. 3. v. 4. 5. Et quæ hæc divina gratia esset contraria satisfactioni Christi, pro nostris peccatis præstita? Quando quidem ea gratia, ex quâ Deus nobis gratuitò condonat peccata, nobis non tantum datur, sed etiam facta est in Christo, nostro propitiatore & satisfactore, 1. Cor. 1. v. 4. & Joh. 1. v. 17. 1. Joh. 2. v. 2. & 4. v. 10. Qui gratiâ Dei, pro omni (homine) gustavit mortem, Hebr. 2. v. 9.

5. Re. 2. Quamvis divinâ delictorû nostrorum remissio, sit merè gratuita respectu nostri ipse autem Christus Jeûs & eam nobis suis laboribus, totâq; suâ, pro nobis præstitâ, perfectissimâ obedientiâ pretiosè promeruerit; proptereaq; (non extra neq; citra, sed) propter nomen ejus, nos remissionem nostrorum peccatorum accipiamus, Act. 10. v. 43. & 1. Joh. 2. v. 12: quippe qui seipsum pro nobis miseris peccatorib. salvandis, proq; nostris peccatis expiandis & in profundum maris abjiciendis, obtulit Deo victimam, λύτρον ἑἑ αὐτῶν, Matth. 20. v. 28. Ephes. 5. v. 2. & 1. Tim. 2. v. 6. atque ita pro nobis satisfecit: quia pro captivis dare pretium redemptionis, est id solvere, quod captivi debent, & hoc ipsum est idem, quod pro ipsis satisfacere: infinite tamen magna Dei gratia, benevolentia & benignitas nobis adhuc facta est, quòd Deus, ipsis etiam lapsis angelis omnibus præteritis; nos homines, in foveam peccati & damnationis prolapsos, non deseruerit, sed nostri misertus fuerit, & nobis unigenitum suum Filium, Mediatorem & Redemptorem nostrum, dederit, atque sic per eum fieri pro nobis solutionem, adornaverit, ipseque etiam Filius esse noster propitiator clementer & libenter dignatus; loco nostri voluntariò passus & mortuus fuerit, & Deus quoq; hæc

A 2

Chri

Christi satisfactionem, tanquã nostram, benignè acceptã sit, ipsã-
que nobis per fidem, à se nobis per verbum & Sacramenta divina
misericorditer donatam, ad salutem, appropriare decreverit. Hic me-
ritò cum Paulo Roman. 5. v. 8. dicimus: *Commendat Deus suam chari-
tatem erga nos, quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis
mortuus fuit.* Commendat, inquit, id est, commendabilem & præsta-
bilem esse ostendit, eãque morte Filii sui pro nobis peccatoribus
obitã, toti mundo notificat & re ipsã illustrat. Quì ergò nos, ipsam
mortem, à Christo, loco nostri, satisfactoriè gustatam, ex S. literis
εὐκλειαν asserentes, charitatem, beneficentiam & liberalitatem Dei
ingentem vel obscuraremus, vel funditus tolleremus?

6. Re. 3. Falsum, indistinctè loquendo, est, non posse de Cre-
ditore, cui satisfiat vel ab ipso debitore, vel ab alio, debitoris nomi-
ne, verè dici, eum gratuito debitum remisisse. Nam si vel maximè id
de debiti pecuniarii per solutione in iudicio politico procederet, non
tamen de debiti criminalis exsolutione in iudicio divino verum fo-
ret. Testatur enim S. Scriptura, quòd Deus nobis nostra remittat
peccata *ex divinã suã gratia;* & simul asserit, quòd Christus *θεὸς ἡμῶν*
π Sponsor noster, Hebr. 7. v. 22, debita nostra *exsolvet.* Quæ exso-
lutio neque extinguit istam divinam gratiam, neque ei adversatur.
Deus enim non duntaxat est noster, ut ita loquar, *Creditor,* ve-
rùm etiam *justissimus iudex & vindex,* cui juxta rigorem justitiæ suæ
legalis, non à quoquam alio, quàm ab ipso homine peccatore de-
bebat moriendo perfolvi, Ezech. 18. v. 4. Quòd igitur Deus alienam
solutionem, à Christo loco nostri præstitam, acceptavit, hoc fuit me-
rè gratuitum ipsius opus. Ad hoc enim Deus, justissimus ille Judex,
non fuerat obligatus. Sileo, quòd Deus non duntaxat istam alienam
solutionem gratiosissimè acceptã sit, sed etiam ipsemet istius pretii
& solutionis, nobis suum unigenitum Filium, propitiatorem dando,
clementissimus auctor extiterit, & per Filium suum datum, istam
solutionem benignissimè nobis apparaverit, & sic in Christo fuerit,
mundum reconcilians sibi, 2. Corinth. 5. v. 18. Et hinc fit, ut Spiritus
S. notabiliter dicat, Deum nobis condonasse peccata nostra, & dele-
visse chirographum, quod erat nobis contrarium, illudq; cruci affi-
xum, è medio sustulisse, Coloss. 2. v. 13. 14. Condonatio igitur illa in cruce
Christi est fundata. Taceo, quòd nostra peccata sint quidem nostra
debita,

7

*debita, Matth. 6. v. 12. est non nuda debita, qualia sunt debita pecunia-
ria, sed criminalia, ipsi naturæ Dei vehementer adversantia, ipsiusque
iram temporalem & eternam hominibus peccantibus attrahentia. Et
hæc est naturalis justitia Dei, nepe quod peccatores digni sint mor-
te, Roman. 1. v. 32. & hæc est infallibilis veracitas & veritas Dei, nimi-
rum quod peccator sit morte moriturus, Gen. 2. v. 17. Non igitur sic-
ut quispiam creditor suo debitori, sine interveniente satisfactione,
creditam pecuniam remittere potest: ita quoque Deus nostra peccata,
sine ullâ interpositâ satisfactione, nobis absolutè remittere valet.
Quia quod ipsius naturæ, naturalique justitiæ & veracitati ac veritati
est adversum, id facere ab ipso alienissimum est. Non enim potest
seipsum negare, 2. Tim. 2. vers. 13. Empharicè itaque Spiritus S. inquit
Hebr. 9. v. 22. Absq; sanguinis effusione non fit remissio.*

7. Instat Socinus in Prælectionib. Theol. cap. 17. pag. 94. 95.
Remissio omnino duas partes habet; quarum si utravis desit, nulla remis-
sio est. Unam, quod debitor liberatur: Alteram, quod creditori debitum
non persolvitur. Quamobrem, etiam si nos, qui propter peccata nostra,
Deo debitores eramus, liberati simus; tamen, si Deo, qui creditor erat,
debitum istud persolutum fuit, nobis nequaquam peccata nostra remissa
fuerunt, aut remitti possunt. Vide & Socin. lib. 3. de Christo servatore
cap. 2. & si liber, adde Vorst. in Schol. Alex. pag. 133. & c. p. 159. & c.
& pag. 195. & c.

8. Be. Ut taceam, hæc ne quidem de omni, apud homines
fieri solita, debitorum remissione semper vera esse, moneo hoc tan-
tum, quod de divina peccatorum nostrorum remissione nequaquam
valeant. Nam 1. Et si Christus Ἰησοῦς Χριστός pro omnibus nostris pec-
catis & pœnis, divinæ justitiæ, loco nostri satisfecerit (quia illa pec-
cata, in se à Deo Patre incurrere facta, portavit, & pœnas, nobis, ob
nostra peccata, debitas subiit, Esa. 53. v. 4. & c. 2. Cor. 5. v. 21. Galat. 3.
v. 13. & 1. Petr. 2. v. 24. nobisq; remissionem peccatorum promeruit,
1. Cor. 15. v. 3. Galat. 1. vers. 4. & 1. Petr. 3. v. 18. 24.) non tamen remissio-
nem peccatorum nostrorum nos actis ipso accipimus, nisi in Chri-
stum credamus, Act. 10. v. 43. & 26. v. 18. Et qui non credit, conde-
mnatur, Marci 16. v. 16. Imò jam tum judicatus est, Johan. 3. v. 18. & ita
Dei manet super eum, Johan. 3. v. 36. Deinde 2. Christus omnia no-
stræ culpæ & pœnæ debita, loco nostri, Deo persolvit, & tamen gra-

119

is remissionem nostrorum debitorum adipiscimur, Psalm. 69. v. 6. Matth. 26. & 28. & Hebr. 1. v. 3. & 9. v. 14. 22. & Rom. 3. v. 24. 25. Non igitur ex nostro proprio cerebro, sed ex divinarum literarum præscripto, de hoc etiam fidei nostræ Christianæ articulo sentiamus & judicemus, fas est.

9. Socius lib. 3. de Christo Servatore c. 2. & in Prælect. c. 17. nobis objicit Parabolam Matth. 18. v. 23. & c. in qua nulla mentio fiat satisfactionis, quam Rex ille à quoquam pro servo, cui debitum remiserrat, aut acceperit, aut requisiverit. Quod satis demonstrare videatur, Deum similiter pro nobis, quibus peccata remittit, nullam satisfactionem à quoquam vel accepisse, vel requisivisse. Deinde observandum esse, monet, nos hic tacite in offensis condonandis idem facere juberi, quod fecit Deus. Atqui, si Deus pro delictis nostris à Christo, et potest homine, ut nos sumus, sibi satisfieri voluit; nemo nostrum jure reprehendi potest, modo offensas in eis ipsis, qui nos offendissent, non ulcisceremur, si interim ab eorum vel propinquis, vel amicis illarum poenas repeteremus. Si Rex ille, servo, qui ipsi eam maximam pecunie summam debebat, dimisso, ab alio eam sibi reddi curasset: quomodo illi exprobrare deinde potuisset, quòd ei ipse universum debitum remisisset, is verò conservo suo remittere noluisset? Nonne à servo illo audire debuisset: Quid tu mihi debiti remissionem exprobras, cum tibi abundè pro universo eo, quod tibi debebam, satisfactum fuerit? Aut cur mihi objicis, quòd à conservo meo, id quod meum erat, repetere voluerim, cum tu ab alio, quod ego tibi debebam, repetieris? Nam ego quæ, si alium invenissem, qui mihi pro illo satisfecisset, libentissimè illum dimissem. Cur enim, illius maximo incommodo, quod mihi debebatur, exorquere curassem, cum & ejus ingenere commo, & prorsus meum recipere, passem?

10. Resp. 1. Etsi Matth. 18. non fiat expressa satisfactionis Christi pro nostris peccatis, mentio: non tamen illa neganda est; quia in aliis S. Scripturae Dictis ea satis inculcatur, prout supra probavi. Neque Matth. 18. in parabolâ fit mentio fidei in Christum. Quâ tamen nos remissionem nostrorum peccatorum consequi, ipsi etiam Photiniani fatentur, etsi fidem illam fallent. sicut suo demonstrabitur loco. 2. Nos quidem debemus Deum imitari in offensis condonandis, est non pari prorsus modo & ratione, quâ hic Rex cœlestis usus est. An enim, quia hic suo servo petenti omne debitum mox remisit,

6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.
41.
42.
43.
44.
45.
46.
47.
48.
49.
50.
51.
52.
53.
54.
55.
56.
57.
58.
59.
60.
61.
62.
63.
64.
65.
66.
67.
68.
69.
70.
71.
72.
73.
74.
75.
76.
77.
78.
79.
80.
81.
82.
83.
84.
85.
86.
87.
88.
89.
90.
91.
92.
93.
94.
95.
96.
97.
98.
99.
100.

misit, etiam Christiani *judices* (quorum officium, in capitaliter puniendis transgressoribus enormibus; Photiniani perperam negant) omni reo omnē pœnam remittent? aut alii Christiani, si quis eorum conjuges, Liberos, Servos, Ancillas innocentes malitiosè occidat, vel domos ipsorum nequiter incendat &c, ea maleficia sic statim remittent, ut Magistratus opem decenter non implorent? Hoc foret divinæ voluntati, & divinæ ipsius Magistratûs Institutioni, ut & officio, à Deo ipsi imposito, adversum, Genes. 9. v. 6. & Rom. 13. v. 1. &c. Quare hoc Christus nos docere vult, quòd nos non debeamus in conservos nostros tyrannidem exercere, nec implacabilia pectora & plumbeas iras gerere, nec solis gestibus & verbis, sed ex cordibus nostris, fratribus nostris sua *παροπτώματα* remittere, Matth. 18. v. 28. 29. 30. 35. Scopus enim Christi hîc est, ut nos doceat, quòd proximo nostro debeamus sua peccata verè & sincerè remittere: non autem, quòd debeamus *per omnia, eo prorsus modo* ei remittere, quo Deus nobis remittit. Sic etiam dicit Christus Luc. 6. v. 36. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Neque tamen jubet, ut *omni prorsus modo pari* misericordes simus, quo ipse misericors est. Deinde 3. Socinus Parabolâ Christi nimis extendit. Nam, ut sileam, quòd Christum pro *mero homine* impiè habeat, duntaxat moneo, Christum in hac Parabolâ non docere, quòd, sicut Deus nostra peccata nobis non condonavit, nisi factâ per Christum ipsorum satisfactoriâ expiatione: ita quoque nos nostro proximo non debeamus suas dimittere offensas, nisi ipsorum propinqui vel amici pœnas propterea sustinuerint. Quid si enim ii maleficia capitalia patrasset, an tùm insontes eorum Liberi &c, propterea essent occidendi? Hoc divinis literis foret adversum; Deut. 24. v. 16. & 2. Reg. 14. v. 6. Porro 4. Etsi Christus Patri suo cœlesti pro cunctis nostris debitis exactè satisfecerit, inde tamen rectè inferri nequit, quòd Rex cœlestis suo servo ingrato & crudeli immeritò exprobrârit, quòd ipsum non sit imitatus. Quia debuisset eum imitari in omittendâ tyrannide & implacabilitate, & in condonandis offensis non hypocriticè, sed ex candido pectore. Sophistam ergò iniquum agit Socinus, quando parabolam Christi præter & contra genuinam ipsius mentem & scopum, ad colorandum suum exitialem errorem, pro mero suo lubitu extendit, & satisfactionem Christi *φανδελον* verlutè imperit.

B

II. Cujus

11. Cujus malignum Spiritum Lector hinc probè notet. Vult Socinus, eximius gratiæ divinæ ebuccinator videri, dum satisfactionem Christi *Jean Dupuis* sic virulentè oppugnat & scopticè exhibilat. Et tamen eandem Dei gratiam atrociter invadit & oppugnat, quando docet (Pelagianos imitatus, de quibus Aug. T. 7. lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum, c. 21. pag. 878. videatur) quòd *vita nostra puritas & innocentia sit quedam causa, cur Deus nobis clementer ac benignè peccata remittat*, Socin. lib. 3. de Christo servat. c. 2. At quid dicit Paulus Rom. 11. v. 6. *Quòd si per gratiam, non jam ex operibus: quandoquidem gratia, jam non est gratia &c?* Reliqua Socinianorum argumenta ipsi discursui reservo.

12. Quid jam de Zwinglianis dicam? Neq; illi meritoriam divinæ nostrorum peccatorum remissionis causam, puta, meritum & satisfactionem Christi, illæsam relinquunt. Nam I. Etsi Calviniani scribant in Synod. Dordrecht. 2. Doctrinæ cap. pag. 351. *quòd mors Filii Dei sit unica & perfectissima pro peccatis victima & satisfactio, infiniti valoris & pretii, abunde sufficiens ad totius mundi peccata expianda: quòd Hassi in illâ Synodo pag. 617. 618. &c, ut & Ecclesiæ Nassovio-Wetteravicæ; pag. 632. & alii illorum Theologi passim repetunt: tamen id subtrunt, quando asserunt, quòd Petrus perhibeat, Christum pro nobis esse passum, cum sola humanitas pati possit, Zwingl. Tom. 2. pag. 538. b. Et p. 457. a. b. 458. 462. idem Zwinglius negat, quòd *Filius Dei, & persona Filii Dei* mortem subierit. Confer & Martirem in Dialogo p. 28. 35. 36. & Pezel. & Grab. cont. D. Hunn. p. 70. At, si quis carnem, respectu personæ, solam passam dicat, is *Filium Dei passum non agnoscit*, scribit vel ipse D. Joh. Crocius in cap. 5. ad Ephesios, p. 905. 906. *Quid? Piscator in Resp. ad Elenchos Bulcheri, pag. 574. vol. 2. Thes. Theologicarum, scribit: Ita quum dicitur: Deus est passus: intelligitur; Christus est passus; hic est Synecdoche membri: quatenus Christus denominatur Deus ab altero persone suæ membro, videlicet Deitate. Deinde, Christus est passus, intelligitur. caro Christi est passa. Hic est Synecdoche integri: quia integra persona nominatur, & sola altera illius pars, videlicet caro seu humananatura assumpta intelligitur.* Quâ de re fufius actum est in Fundamentali Deduct. Marpurg. c. 4. pag. 136. usq; ad pag. 154. Quæ quisquis solidè refutare vult, eum non fas est, frustillatim & mutilatè procedere, sed ad omnia*

fundamenta, in suâ integritate relicta, decenter respondere.

13. Quia ergò Zwingliani & Calviniani passionem & mortem non ipsi τῷ λόγῳ, ipsi substantiali æterni Dei Patris Verbo, sed soli carni assumptæ assignant, hinc infinitum pretium & valorem imensum ei, quantum possunt, detrahunt. Quòd enim hæc passio & mors sit infinitæ pretiositatis & immensæ efficacitatis, hoc fluit inde, quia verè est passio & mors ipsius τῷ λόγῳ incarnati. Quàm enim verè ipse est caro factus per unionem & communionem hypostaticam, tam quoq; verè ipse est passus & mortuus in suâ, sibi hypostaticè propriâ, carne. Necdum εὐλικεῖν Adversarii nostri sentiunt, quando passionem & mortem verbis suis adscribunt personæ Christi. Audi enim vel Zanchium, qui lib. 3. de Naturâ Dei, cap. 1. q. 1. p. 200. b. seu Tom. 2. p. 163. scribit, quòd λόγῳ Deus potuerit sibi humanam naturâ hypostatitῶς assumere atq; unire, ita ut ex immenso ac infinito, & ex re finita, factum sit tertium quiddam, quod Deus & homo dicatur & sit. Et lib. 2. c. 1. quæst. 3. thes. 4. pag. 71. seu Tom. 2. p. 61. ait: Sed quid efficit (unio hypostatica?) Hoc unum efficit: nimirum, ut quæ utriusq; nature sunt propria, ea de toto composito verè & essentialiter prædicentur. Quamobrem? Quia utriusq; etiam nature particeps verè & substantialiter est. Quemadmodum etiam in Physicis, de composito ex materiâ & formâ, quæ sunt utriusq;, reverâ prædicantur: sed non, quæ unius sunt propria, de alterâ prædicari possunt. Hæc ille. Jam ego assumo: At qui τὸ passum & mortuum esse, non potest de τῷ λόγῳ essentialiter prædicari. Ergò de ipso non potest verè prædicari, sed tantùm de personâ cōpositâ, quæ sit aliquod tertium, à τῷ λόγῳ & carne realiter distinctum. Quod tamen tertium est non Ens, & S. Scripturæ incognitum.

14. Deinde II. Calviniani docent, quòd Christus, non suâ deitate, sed suâ carne pro nobis satisfecerit, & remissionem peccatorum nobis promeruerit. Zanch. l. 2. de Incarnat. c. 3. q. 12. p. 424. seu Tom. 8. p. 188. inquit: Secundùm divinam naturam Christus hanc vitam in nobis efficit & creat, & tanquam succum suæ vitæ in nos instillat. Proprium enim Deitatis est, dona creare, justificare, regenerare, glorificare. Secundùm verò humanitatem, nos vivificat suo merito: nempe suâ satisfactione & obedientiâ: suâ item intercessione, & denique reali applicatione & suæ vitæ communicatione. Martinus in Theologiâ, pag. 667. ait: Vitam propriè non promeretur Christus deitate, sed carne; eâ enim natu-

ra movetur, qua satisfacit, ea autem satisfacit, qua obedit & patitur; hoc autem ea, quâ minor est Patre. Vide eundem Martiniû in Symbolo, lib. 2. c. 7. pag. 305. & l. 3. c. 5. pag. 653. Polan. libro. 1. Partit. Theol. pag. 99. & l. 6. Synt. Theol. c. 16. pag. 379. & lib. 6. c. 36. pag. 455. Idem docent Pontificii & Photiniani, quorum testimonia in Syntagm. pag. 706. 712. citavi.

15. By. Meritum & satisfactio; quâ Christus nobis remissionem peccatorum nostrorum promeruit, nō est soli ipsius carni tribuendum: quia solius carnis meritum est finitum. At meritū Christi est infinitum; quippe quo infinitam Dei iram nobis placavit, & infinitam Dei gratiam nobis recuperavit. Proinde Christus Θεάνθρωπος & juxta utramq; suam naturam, nobis meritorie acquisivit ignorantiam nostrorum delictorum. Quod est officiale ipsius ἀποτέλεσμα; in quo unaquæq; natura egit id, quod sibi ἰδίον & proprium est, sed cum κοινωνία alterius. Ὁ λόγος & ergo τὰ ἀνθρώπινα sue carnis sibi per unionem hypostaticam; verissime appropriavit; & assumpta caro, per eandem unionem, divinâ & infinitâ ἡ λόγος majestate & virtute donata, etiam θεϊκῶς operata est, ad ἀποπέλεσμά τε θεανδρικῶν producenda. Vide de hoc θεανδρικῶν Messiae officio loquentem Sp. S. Gen. 3. v. 15. & 12. v. 3. & Esa. 43. v. 24. 25. & 53. v. 4. & c. & 63. v. 3. Matth. 5. vers. 17. & 18. v. 11. & 20. v. 28. & 26. vers. 28. & passim, & satis perspicies, quod hoc Christi meritum & satisfactio ipsi Θεάνθρωπῳ juxta ambas suas unitas naturas, unitè ac communicativè (quamvis non confusè, sed distinctè) in unitate indivisæ suæ personæ, operanti, sit attribuendū. Quod tam apertè liquet, ut vel ipse Polan. l. 6. Syntag. Theol. c. 27. p. 433. inquit (utinam sincere! nempe ut factam divarum Christi naturarum unitarum, earundemque proprietatum hypostaticam κοινωνίαν credere) justè & sufficienter intercedere pro peccatoribus apud Deum, est opus Mediatoris. At hæc operatio est divina, quia supernaturalis, ad quam præstandam, ne tota quidem natura; ut natura est, ergo nec humana Christi natura sola, sufficiens est; alioquin Mediatorem suffecisset esse justum hominem. Satisfactionem præstare pro nobis; quæ constare coram Deo possit, redimere nos & reconciliare nos Deo, est operatio Mediatoris. At hæc etiam est divina, sicut dicitur Act. 20. v. 28. Deus suo proprio sanguine acquisivit Ecclesiam. Vide ibi plura.

16. III. Adversarii nostri docent, nos non activâ Christi obedientia

dientia (quippe quam is pro seipso debuerit prestare) sed sola passiva, quam ipsi vocant, ejusdem obedientia, seu causa meritoria, remissionem nostrorum peccatorum consequi. Piscator Herborenensis, in c. 4. ad Roman. observ. 2. & 13. & in c. 5. observ. 5. & 7. & passim. Martinus in Christianâ & Catholicâ Fide, p. 259. 260. 267. &c. & alii, à me alibi allegati. Et id omnes Calviniani hæcenus tenentur asserere, quatenus & quamdiu docent, Christum, ut homo est, pro se ipso debitorem fuisse divinæ legis quoad activam obedientiam. Nec est, ut aliqui Calviniani id, hoc argumento, negent, quia Christus non sibi, sed nobis sit natus homo. Nam respondet Piscator, Christum pro seipso fuisse legi obligatum tum jure naturæ, tanquam creaturam Dei rationalem, tum jure fœderis, à Deo pacti cum Abrahamo & eius posteris; quia sit ex familiâ Abrahami. Vide ipsum vol. 3. Thes. Theol. Loc. 25. th. 18. pag. 321. & Loc. 26. th. 40. p. 333. & Loc. 29. th. 21. pag. 353. & th. 24. p. 354. & Loc. 39. th. 9. pag. 438. Imò Loc. 26. th. 41. pag. 333. inquit: Non itaq; absurdum est, profiteri, Christum, seu λόγος secundum humanitatem suam, legi fuisse subiectum pro se. Et Martinus in Christianâ & Catholicâ Fide, l. 2. c. 6. p. 299. ait: Christus secundum humanam naturam Deum diligendo, prestavit id, quod absolute debuit. Omnis enim creaturâ debet cultum Deo creatori suo; & tanto plenior, quanto plura dona ex eius manu est sortita. Et lib. 3. c. 5. p. 671. 672. scribit: Ad obedientiam autem in summa Dei dilectione, citra erumnas, positam, communi creaturarum jure obstringebatur, respectu humanæ naturæ; etsi in personam λόγος assumptæ. Nam in persona illa subsistens; non desinit esse creatura: imò propter illud summum unionis beneficium, id est, quod hæc humana natura dignatione Dei est unita Verbo, pleniora & majora gratitudinis officia Deo debet, & prestavit & prestabit in æternum. Idem docet Martin. p. 673. 674. 675.

17. Jam pius Lector notet argumentum Socini lib. 2. de Christo Servatore c. 24. pag. 288. edit. Franekeranæ, cum Resp. Sibrandi: Si deo, inquit, eos liberasset Christus, qui erant sub lege, quod suscepisset prestandum id, cui solvendo illi non erant: opus fuisset, cum minime subiectum esse legi, ut eam absolute servans, pro aliis id, quod ipse non debebat, solvere posset. Nam quomodo pro aliis prestare quis potest, quod ipse facere tenetur? Hæc ille. Ad quæ neque ipse Sibradus p. 291. neq; ipse Pareus in cap. 4. ad Galat. pag. 287. 287. solide respondit,

neq; ullus Calvinistarum quicquam solidi respondere unquam poterit, quatenus & quamdiu asserit, & urget, Christum, ut homo est, pro seipso, fuisse legi morali, quoad activam obedientiam, subjectum. Nam si ipse pro seipso fuit debitor legis, quoad activam obedientiam, & dilectionem Dei & proximi, tum istam obedientiam præstando, illam non pro nobis, sed tantum pro seipso præstitit: atq; sic pro nobis nondum satisfecit, necdum nos redemit. Ergò aut nondum à Christo redemptum est genus humanum, aut sincerè asserendū est, Christum, ut etiam homo est, non pro seipso fuisse debitorem legis divinæ, sed ejus Dominum, Matth. 12. v. 8. Marci 2. v. 28. atque ita per unionem hypostaticam in veram divinæ majestatis ἡγιωσαντες devenisse. Nam esse Dominum legis divinæ, est ἰδιον Θεοῦ.

18. Hoc B. Patres probè expendent, id nobiscū asseruerūt. Cyrill. lib. 12. Thesauric. 15. inquit: Natura nostra, à Filio Dei assumpta, mensuram suam excessit, & in conditionem assumentis eam, per gratiam translata est. Et Aug. Tom. 10. serm. 6. de verbis Apostoli: Christus nisi indebitum solveret, nunquam nos à debito liberaret.

19. Quin & ipse Johan. à Münster, Nobilis Calvinianus, in lib. germ. de Justificat. (de quo Dn. D. Menzer. p. m. rogatu auctoris, suum judicium exposuit T. 3. Gissens. disp. 15.) c. 3. q. 16. p. 98. &c. edit. Bremens. an. 1609. negat, Christum, quā homo est, quoad activam obedientiam, pro seipso fuisse debitorem legis: adeòq; pag. 106. disertè scribit, Christum, quā homo est, esse supra legem; quia sit una persona cum τῷ λόγῳ, Johan. 1. v. 1 &c. Quin & pag. 107. hunc ponit Syllogismum: Qui est Dominus legis, illi non est data lex, ut eam pro seipso servaret. Christus, etiam quatenus homo est, est Dominus legis. Ergo Christus non est data lex, ut eam pro seipso servaret. Et pag. 143. scribit, Christum sibi ipsi nihil promeruisse, ut tamen doceant Ariani & Jesuitæ. Percurrat Lector istum librum, & multa reperiet Piscatori Herbornensi, ipsiusq; sequacibus, rectè opposita.

20. Nondum finis. Quamvis Piscator in suis Scriptis doceat, Christum, quā est homo, pro seipso fuisse debitorem legis divinæ, quoad dilectionem Dei & proximi: non tamen sincerè credere & asserere potest, quòd Christus, ut homo, diligendo proximum suum, divinæ legi satisfecerit. Nam si Christus, ut homo, proximum suum dilexit, sicut seipsum, ergò omni homini, quoad vitam temporalem & æternam bene

bene esse voluit. (Nam *proximus noster*, est omnis homo. Et quilibet homo ex toto corde cupit, ut sibi bene sit corpore & animâ, & in hoc & in futuro seculo.) Si hoc. E. Christus, ut homo, *divinæ voluntati* fuit contrarius, Quia Deus, docente Piscatore, non vult (ex absoluto decreto) omnes & singulos homines salvos fieri, vol. 2. thes. Theol. cont. D. Schaafmann pag. 177. &c. Si a. Christus, ut homo, non ita *proximum suum dilexit, tum divinam legem, cui, asserente Piscatore, pro se ipso subjectus fuit, violavit.* Quia in divinâ lege *proximus noster* notat omnem hominem; quippe qui consubstantialitate humanâ, ut & suâ indigentia sublevandâ, nobis proximus est. Proinde errat Piscator, quando Vol. 3. thes. Theol. Loc. 39. th. 38. p. 449. *proximum* explicat per *electos*. Non enim is tantum electum, sed omnem hominem notat, ut etiam B. Patres agnoverunt.

21. Addo. Piscator docet quidem, quòd Christus passivam, quam vocat, obedientiam pro nobis præstiterit; ast Vol. 3. Loc. 39. th. 54. p. 452. negat, *Christum legi divinæ sese conformavisse patiendò: quia lex nihil Christo de passionibus, ad officium ejus mediatorium pertinentibus, præceperit.* Sentit n. quòd Christus ex speciali Dei Patris mândato, pro solis electis hominibus passus fuerit, Vol. 3. Loc. 39. p. 438. &c. Observent ergò pia pectora, quòd Christus, secùdum Piscatorè, neq; *activâ*, neq; *passivâ* suâ obedientiâ, pro genere humano, *divinæ legi*, in Decalogo propozitæ, satisfecerit. Ergò quicumq; homo justitiâ coram Deo valente, suorumq; peccatorum veniâ & salute donatur, is *contra Decalogum divinum* benedicatur & beatur. Quod absit. Quia Christus totâ Dei legem pro genere humano implevit, Matt. 5. v. 17. & Rom. 10. v. 4. & Gal. 4. v. 45. Unde fides nostra in Christum, legem divinam non irritam reddit, sed stabilit, Rom. 3. v. 31. Et Decalogus est *immota* justitiæ regula in Deo. Hinc etiam ipse Whitaker. T. 1. p. 38. col. 2. & Polan. l. 6. Synt. Theol. c. 36. p. 456. col. 2. scribunt: *Legi satisfactum esse oportet, aut justus esse non possumus. Non enim aliam Dominus justitiâ probat, quàm illam ipsam, quæ lege describitur, quam qui non adferunt ad tribunal Dei, in mortis æternæ rei pronunciantur.*

22. Deniq; I V. Calviniani ipsam meritoriam divinæ remissionis nostrorum peccatorum causam non relinquunt intactam, docendo, quòd Deus, pro *mero suo beneplacito absoluto*, ex omnibus hominibus, in peccato pari & communi miseriâ jacentibus, hos, præ illis, *absq; interposita satisfactione & merito Christi*, per fidem apprehenso

(in

(in prænotione divinâ) ante jacta mundi fundamenta, ad vitam æternam prædestinârit. Vide vel Polan. l. 2. Synt. Theol. c. 22. p. 173. & l. 4. c. 9. & passim alios. Si enim Deus hoc, salva sua justitia & veritate, facere potuit, adeoq; actu fecit, cur non etiam, eadem sua justitia & veritate salva, electis illis, absq; satisfactione Christi, ab ipsis per fidem apprehensa, peccata sua condonet? Nam divina hominum lapsorum ad vitam æternam electio, & divina ipsorum peccatorum remissio, est ejusdem divinæ gratiæ opus. Taceo, quod Chamier. Tom. 3. Panstrat. lib. 12. cap. 10. §. 18. pag. 210. scribat: Nobis potius est persuasissimum, remissa esse peccata, antequâ credamus: Certè infantes nos negamus credere, & tamen infantibus condonari peccata. Idem docent Piscat. in Resp. ad Dictata D. Hoffm. cap. 7. pag. 84 & in cap. 19. Matth. obs. II. & Sibrand. in Comment. ad 99. errores Vorstii, pag. 361. & c. & alii, quos allegârunt Remonstrantes in Actis Synodalib. de art. 2. p. 287. 295. 296. Tantum de Calvinistis.

23. Nec Papistæ hanc causam divinæ condonationis nostrorum peccatorum meritoriam, illæsam relinquunt. Nam. I. Negant, Christum pro nobis cruciatus Tartareos pertulisse, Bellar. lib. 4 de Christi animâ, c. 8. Cum tamen ipse non pars tantum maledictionis, sed ipsa maledictio pro nobis factus sit, Galat. 3. v. 13. Quæ etiam pœnas infernales includit. II. Scribunt, quòd etiam Maria virgo caput serpentis Tartarei contriverit, Barrad. T. 1. Concord. Evangel. l. 7. c. 13. p. 348. & Vitus Milet. in Discuss. error. p. 106. 508. Confer etiam Bell. l. 2. de verbo Dei c. 12. §. 1. Cum tamen id opus solius Christi sit, Genes. 3. v. 15. & 1. Johan. 3. v. 5. 8.

24. III. Opera nostra propria satisfactoria urgent, Bellar. l. 4. de pœnit. cap. 1. & seqq. Cum tamen solus Christus pro nostris peccatis satisfecerit, Esa. 43. v. 24. 25. & 55. v. 4. & c. & 63. v. 3. & 1. Cor. 15. v. 3. IV. Tradunt, se sui flagellatione expiare sua peccata, Gretserus ipsiusque contribules, quibus D. Zeëm. Carnificinam Esaviticam opposuit. Qui liber legatur. V. Putant, sese per sacrificium Missæ remissionem suorum peccatorum consequi,
Taceo jam alia: de quibus alibi.

F I N I S.

••(o)••

Coll. Diss. A. 167, univ. 22